

fensionem veritatis orthodoxae latebras omnes obstruerent, ac materiam ipsi alendo legitimis mediis plane subtraherent. Fuerunt tamen & alii, qui ignem istum tanquam innocentem sanctumque ac inviolabilem habendum censerent, a quo potius incredibilia emolumenta, quam quicquam mali, expectanda habeas, adeoque pessime feceris, si illum suffocare intendas. Fuerunt praeterea, qui cum omni periculo rem non vacare intelligerent, ac palam equidem profiterentur, plus tamen negotii intempestivitatem, quam pravitatem aut falsitatem accusarent.

§. II.

Primi enī, ut sigillatim exponamus, ubi ferendum erat judicium de Inspiratorum hodiernorum, uti se audacter nominarunt, venditata ΘεοΦορῷ, seu *impetu*, quem pro *divino* hominibus simplicioribus obtruserant, sine mora ex certissimis criteriis eam rejecerunt, & rem universam, tanquam *revelationi* unice *salvificae contrariam*, & *Enthusiastarum moribus quam simillimam*, eliminandam e coetu Dei crediderunt. Neque ad probationem illius figmenti diuturno tempore, aut multa patientia opus habuerunt, cum habitu Theologico probe instructi, & per diligens Scripturae scrutinium αἰΩΝΤÍΡΙΑ γεγυμνωσμένα consecuti, primo mox examine istius futilitatem, & fraudes Satanae cognoscerent, gnarique essent, quanta sub tam sancto tegmine hujus hostis humani generis & sincerae Ecclesiae molimina laterent. Unde & monito Apostoli de probandis omnibus & optimo retinendo, I. Thessal. V. 21. ubi nihil prorsus folide ac vere boni reperirent, totum Inspirationis excogitatae opus procul amoliendum esse, intrepide pronunciariunt, hoc modo & officii sui rationibus obsecundantes, & Ecclesiae ac posteritatis emolumento, nec non suae conscientiae tranquillitati recte consulentes.

§. III.